DE DIAGNOSI ATQUE THERAPIA SYMPTOMATUM OXYURI VERMICULARI EFFECTORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IV. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS ZUMBUSCH,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

M. RULLE, DRD. MED.
A. BORGMANN, CAND. MED.
F. MUMM, STUD. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

Inde ab omni tempore intestinorum entozoa medicorum animos in se converterunt. Et merito, ideo, quod in humano, praesertim puerili corpore reperiuntur, multa infirmae valetudinis symptomata, quae ex illis orta et putabantur et saepe re vera orta sunt, deinde etiam, quod satis incertum et obscurum est, quomodo et quibus ex causis oriantur, et qua ratione cognosci et intelligi possit, ea exstare; maximi igitur momenti est ad doctrinam physicam medicamque ut accuratius in ea inquiratur.

Prioribus temporibus viri docti permultos infantium morbos vermibus tribuentes modum sane excedebant; haud melius autem recentioribus temporibus multi contendebant, vermibus illis in humanis corporibus exstantibus nullam aegrotationis causam tribuendam esse. —

Ex mea quidam sententia verum in medio est positum; etenim etiamsi nullus exstat morbus, qui ex solis vermibus pendeat, tamen negari non potest, multa morborum symptomata esse, quae intestinorum vermibus sint effecta.

Ex vermibus, qui in humanis praesertim corporibus reperiuntur, praecipue Taenia, Ascaris lumbricoides, Oxyuris vermicularis varia pathologica symptomata efficiunt.

Verum tamen si tria haec vermium genera et symptomata, quae ex illis pendent, accuratius describere vellem,

hujus libelli modum excederem, quare a Professore Moslero admonitus hoc tantum mihi proposui, ut primum symptomata pathologica, quae oxyuri vermiculari in hominibus et praesertim in infantibus oriri possint, accuratius inquiram, deinde ut pauca de Diagnosi horum symptomatum exponam, denique ut remedia afferam, quibus quantum quidem usu et experientia cognovimus, certissime celerrimeque vermes illi removeantur.

Priusquam vero ad rem ipsam aggrediar, necessarium esse videtur, et ad rem ipsam pertinere, ut pauca de natura et origine oxyuris praemittam.

Jam inde ab antiquissimis temporibus oxyures vermiculares medicis erant notae. Hippocrates enim, Aristoteles, Galenusque illas descripserunt, quas ascarides nominabant, quasque eodem nomine insignitas et ad ascaridum classem pertinentes Linné quoque et Cuvier afferunt, qui oxyurem vermicularem saepius ascaridis vermicularis nomine afferunt.

Rudolphius demum, et anno 1809 etiam celeberrimus Bremserus merito oxyurem ex ascaridum familia sejungebant et oxyuris vermicularis nomine tamquam singularem nematodum speciem in historiam naturalem introduxerunt.

Ut vero hoc nomen „oxyuris“ (ab ὀξύς et οὐρά vocabulis compositum) eligerent docti illi viri, corporis sane forma moti sunt, quamquam hoc nomen feminae tantum tribuendum est, minime autem mari, cuius cauda in finem versus torta est.

Oxyuris insignia, quae ego observavi, haec sunt: vermis ipse filifere crassitudine est; mares tantum multo mi-

nores sunt quam feminae; et, quod jam Bremserus dicit, ego quoque possum affirmare unam et dimidiam lineam longi sunt, feminae autem quinque lineas aut plus. Vermis caput pterygoideis processibus tumidum et nodiforme atque canaliculo, qui nihil aliud, nisi oesophagus est, instructum. In extrema marium cauda penis cernitur, dum mulierum vaginae introitus haud longe a capite abest, quod per microscopium cognovi.

Recte Kuechenmeister pro magnitudine tres vermium species discernit:

1. maturas feminas, magnitudine et crassitudine, longissima, tenuissima et piliformi cauda, latiore capite insignes,

2. recentes et immaturas feminas maturis minores et brevi atque in acutum desinenti cauda insignes,

3. maturos mares tortuosa cauda et perspicuo pene insignes.

Quod Kuechenmeister contendit, tria haec genera simul in uno eodemque intestinorum tractu reperiri, rectissimum est; quotiescunque enim in cadaveris obductione oxyures in intestinis reperi, facile perspexi, vermes diversa esse magnitudine atque facili negotio duas feminarum species inveni; haud facile autem erat mares investigare, atque per longum tempus frustra microscopio adhibito, denique mihi et quidem semel tantum obtigit ut marem invenirem, qui cum sexcentis feminis in intestino crasso senis cuiusdam exstabat.

Constat etiam, oxyures feminas multo frequentiores esse quam mares, ita ut inter trecentas oxyures unus tantum mas reperiatur. Quare factum est, ut priore tempore multi contenderent, mares omnino non exstare, quem ta-

men errorem Soemmeringius, qui filio suo nonnullos mares summovit, ostendit. Postea Bremserus saepius mares invenit et inde ab eo tempore, quo microscopium medici in usu habent haud raro mares reperiuntur.

Unde autem hi vermes in intestinis oriantur, exquirere res et difficillima et subtilissima est et medicis gravissima; quia ars medica postulat, ut morbi symptomata usque ad originem persequamur, Ut vero multorum animalium ita praecipue oxyurium origo in tenebris jacet.

Nobis de eorum origine cogitantibus sponte sese offert quaestio, utrum extrinsecus inducantur, an in ipso corpore oriantur. Parasiti in tractu intestinorum viventes ex ovis oriuntur et aut ipsa ova aut jam adulti parasiti in tubum intestinalem pervenerunt. Oxyures igitur haud dubie nascuntur secundum legem ab Harvey jam propositam: omne vivum ex ovo.

Utrum vero illa ova atque animalia ex iis orta in ipsis intestinis oriantur an extrinsecus inducantur haud facile potest constitui. Hoc tamen possumus accipere, verisimile esse una cum cibo ova vel illos vermes in corpus humanum induci, quamquam huic sententiae nonnulli viri docti repugnant et contendunt, ea in ipsis intestinis oriri. Nam P. Frankii opinioni, qui dicit:

„nur der menschliche Körper ist ihr Vaterland; nur hier können sie gedeihen; ausserhalb desselben haben sie keinen Grund und Boden; denn gerathen sie zufällig in den Körper eines ihnen fremden oder zu ihrer Aufnahme und Pflege nicht geeigneten Thieres, so werden sie von diesem entweder als Beute verzehrt oder als lästiger Eindringling und ungebetener Gast hinausgeworfen;“

multae observationes sunt oppositae, ad opinionem, ova illa vel vermes exstrinsecus induci, probandam haud parum idoneae.

Saepius enim oxyures in talibus hominibus reperimus, qui amylaceis vivunt, quam qui victu animali vescuntur, quod ex observationibus Steinii, qui in scarabeo farinario entozoa animalia invenit, magis confirmatur. Fieri enim potest, ut simul cum impura furina ova vel larvae oxyurium in intestina inducantur, quae illorum progressioni valde favent.

Goeze autem errat, qui putat, oxyures foetus procreare; quod in vivis vermibus ova huc illuc moventur, quod praeterea alii parvi vermes in intestino recto ranarum et bufonum, qui tamen ad aliam classem pertinent, foetus procreant ea de causa Goeze haud dubie inductus est, ut ova pro foetibus haberet. Molin dicit, se observasse, oxyures ex trichinis oriri, quas per anum induci posse, prorsus negat. Utricunque autem de oxyurium origine sententiae assentiamur, nihilominus tantus tamque latus relinquitur campus, in quo accuratius hac de re quaerere possumus. Quum omnes intestinorum vermes tum oxyuris praecipue in infantium corpore inesse videtur, quod iis quoque confirmatur, quae viri docti hac de re nobis tradiderunt, quaeque ego ipse expertus sum.

Quamquam vero accuratiores statistici de hac re libelli adhuc desiderantur, hoc tamen constat, nullam aetatem oxyuribus non vexari atque ego ipse senem novi, qui illis cruciatur vermibus.

Bremsero notus erat senex octoginta annos natus, qui oxyures alebat.

Atque Küchenmeister apud seniores quosdam homines oxyures invenit.

Sicuti autem nulla aetas ita etiam nulla terrarum pars illarum expers est; certiores enim facti sumus, has, non solum in omnibus Europae regionibus, sed etiam in aliis terrae partibus exstare. Saepius enim in Syria et Aegypto apud infantes observatae sunt, satis frequentes etiam in Africa esse traduntur, atque Tutschek in Africa centrali haud raro eas invenit.

Quatenus anni tempora ad augendas oxyures valeant, non audeo constituere, quum ea, quae viri docti adhuc experti sunt, non sufficiant.

Frank quidem contendit, se illas ineunte vere saepius observasse; multum vero huic rei tribuendum non est.

Oxyures etiamsi plerumque in recto sedent, tamen etiam per totum crassum vel adeo in inferiorem intestini tenuis partem dispersae sunt. Et quamquam rarius tantum fit, ut ultra coecum reperiantur, ego tamen hieme praeterita in cadavere viri duo et quinquaginta annos nati, qui necrosi diffusa ossis femoris, qua per annos XLII laboraverat, mortuus erat, oxyures usque in intestinum tenue persecutus sum. Quin totum crassum usque ad processum vermiformem occupare possint, nemo dubitabit, si perpendit, quae viri docti ea de re perscribunt et quod ego ipse saepius observavi. Utrum vero oxyures in locis extra intestina positis exsistant necne perdifficile est dijudicatu.

Bremserus jam negat, eas in aliis corporis partibus habitare et observationes Wulfii, qui illas in sacco intra ventriculi tunicas, Brerasii, qui magnam oxyurium copiam in pharynge mulieris Typho abdominali mortuae, Bianchis,

qui eas in cerebri ventriculo putat se reperisse, haud credibile esse dicit Fortasse hi viri conjecerunt in partibus illis oxyures adesse, quia interdum, quod Frank nobis tradit, vomitu ejectae sunt.

Singularem de oxyuri conjecturam proponit Loreau. Proficiscens a sententia, oxyures vermiculares nomadum vitam vivere, putat, se posse accipere, illas non solum per totum intestinorum tractum sed etiam in nares, sinus, respirationis organa, ipsum obdominis cavum migrare.

Quae opinio ea maxime re nititur, quod oxyures ex ano emittuntur et in organa genitalia irrepunt, verum accuratiores demum inquisitiones observationesque docebunt, quantum huic opinioni sit tribuendum.

Sexus ipse nullum facit discrimen, nam et puellae et pueri oxyuribus vexantur; ego tamen saepius apud muliebre quam apud virile genus eas inveni.

Quantum ego quidem expertus sum, etiam inter sanos et aegrotos nullum est discrimen, quamquam homines, haemorrhoidali morbo affecti, magis ad oxyures videntur dispositi esse.

Aliquam fortasse, vim vita et victus habeant. Saepius enim oxyures apud pauperes quam apud divites, apud sordidos et immundos, saepius quam apud mundos et puros.

Observationes, quas Dr. Gros per duodecim annos de oxyuri vermiculari instituit, dignae sunt, quae hoc loco breviter commemorentur:

1, Oxyuris non habitat in recto, neque in eo adolescit, quia nunquam pulli ibi reperiuntur, sed Ileum et Coecum possidet, quam ob rem Anthelmintica inutilia sunt; nam et per os et per anum injecta diluuntur, priusquam ad ver-

mium sedem perveniunt, quae propter minimam corporis formam plicis conniventibus a medicamentorum vi defenduntur.

2, Oxyures legibus inferiorum animalium obnoxiae sunt, ita ut loci, ubi sedent, temperatura paullulo minuta, sufficiat ad eas necandas, quare Klysmata aquae gelidae optimum sunt remedium. Oxyures pariter atque ascarides in aqua albumine mixta et corporis temperatura humani aliquamdiu possunt vivere.

Dr. Grosii de oxyurium sede sententia Strickero auctore iis quoque observationibus probatur, quod orta diarrhoea, qua glandularum entericarum secreta chemice mutantur, non vivae sed jam mortuae et quidem opacae et biliosa massa tinctae in rectum perveniunt, et quod in hoc casu etiam progenies oxyurium removetur, quae, si succus entericus normalis est, rarissime in Recto observatur. Adspectu, quem vermes illi praebent, verisimile est, eos jam in superiore tubi intestinalis parte necatos esse.

Symptomatologia.

Negari sane non potest, omnium vermium, qui in humano corpore reperiuntur, oxyures saepissime efficere perturbationes, quae singularibus symptomatibus comitatae sunt. Quod ad sedem ipsam pertinet, haud raro molestum et intolerabilem spasmum in extremo recto atque in ani regione animadvertimus. Qui spasmus, si paucae tantum oxyures adsunt, non tam vehemens est quam si multae adsunt, quae saepe acutum velutsi tenuibus acubus effectum creant dolorem. Hic spasmus, Grosio teste, post defaecationem augetur atque eo magis, quo majora erant scybala.

Stricker hanc rem bene ita explicat: „Defaecatione“, inquit, „pars quaedam membranae mucosae muco enterico spoliatur atque tum vermium motio in parte illa nudata per nervorum fines eo magis sentitur, donec satis magna pituitae copia est secreta. Vehementissimus autem, ut accuratae observationes docent, hic spasmus est, si aegroti in lecto jacent; haud facile enim obdormiunt, vel tumultuoso somno vexantur, praecipue irritabiles infantes, verum etiam adulti atque adeo senes haec molesta praebent symptomata. —

Commilitonum quidam, qui hieme praeterita oxyuribus valde vexabatur, mihi dixit, vesperi, quum in lecto jaceret, spasmum molestum ortum esse, pungenti dolori similem, qui saepius tam vehemens fuerit, ut desperatione ductus, calamun in ano huc illuc vertisset atque haud raro pro calamo cultro se uti voluisse. Haud facile se obdormivisse quo tamen facto, identidem experrectum esse.

Non raro tamen fit, ut spasmus ille una eademque noctis hora oriatur, quare jam peritissimis medicis obtigit, ut cum alius morbi symptomata eum confunderent.

Ut exemplo utar, Cruveilhier narrat, se infantem X annos natum, noctu eadem semper hora molesto prope anum spasmo expergefactum curare voluisse chinino sulphurico, quia putaret, febrim intermittentem adesse; quum vero hoc medicamentum nullum effectum habuisset, parentibus mandasse, ut noctu arcesseretur, quo facto facile sibi persuasum esse, illos dolores et regularem expergefactionem oxyuribus effici, quae circa anum huc illuc moverentur.

Multi medici ad hunc spasmum explicandum oxyuribus tribuunt migrandi quandam periodicam cupidinem. Et re

vera in nonnullis casibus haud erit difficile, mutationes periodicas, mutata vermis sede effectas animadvertere; huc sane pertinent, ut Lallemand putat, mutatio concoctione effecta in tractu intestinorum, qualitas faecum cet.

Ex potionibus, Dr. Hervieux teste praecipue coffea et sprituosa molestum illud spasmi symptoma efficiunt, vel certe augent.

Ab hoc loco alienum non erit, casum affere, quem Oppolzer observavit.

Homo quidam jam XLVII annos natus in puerili aetate vermibus parum vexatus, ab vicesimo tertio usque ad vicesimum octavum annum valde cruciabatur oxyuribus, quae non solum spasmum, sed etiam fodientes dolores, qui sub vesperum augebantur, efficiebant, praesertim crescente luna et plenilunii tempore vehementissimi erant.

Quum morbus aliquamdiu durasset, vermium copia tanta erat, ut quotidie saepius sub Tenesmo glebae vermium, pituita involutorum sine faecibus et sanguine dejicerentur.

Concoctio illius viri in universum non erat turbata, verum plenilunii tempore aegrotus, quia propter dolores insomnes noctes agebat, malum adspectum praebuit, Dolores saepe tam vehementes fuerunt, ut aegrotus sibi ipse mortem consciscere vellet,praesertim quum omnia medicamenta veluti:

Rheum, Semen Cinae, Hydrargyrum chloratum mite, Klysmata, allio sativo comparata, Alumen aliaque frustra essent adhibita. Postea quum quotidie duos cyathos austeri vini biberet, dolores evanescebant et saepius vermes dejiciebantur, simulatque autem nonnulla cerevisiae pocula

bibit vel Baccho indulsit, molestissima illa symptomata redibant.

Ego ipse expertus sum, doloris et spasmi symptomata in ano mulieris cujusdam oxyuribus cruciatae multo vehementiora esse, si aegrota, antequam cubitum iret, coffeam validam vel theam biberet, quam si cibos acidos sumeret.

Non mirandum igitur, si perpetua hac irritatione major sanguinis copia in unum influens vasa haemorrhoidalia turgescunt, intentio, dolor, tenesmus, blennorrhoea vel adeo, quamquam raro, prolapsus ani oriuntur et mox obstructio, mox diarrhoea observatur. Verum haud facile est, si oxyures exstant et catarrhus ventriculi intestinique, inflammatio vel adeo blennorrhoea mucosae recti, intumescentia venarum haemorrhoidalium, tenesmus animadvertuntur, statim constituere utrum sit primarium. Nam apud homines malis illis affectos oxyures multo saepius invenimus, quia mucosae tali modo affectae vermes et augent et tuentur.

Verum etiam observationes factae sunt, quibus possumus constituere per oxyures illas Recti mutationes esse effectas. Exempli gratia casum afferamus, quem Dr. Hervieux describit (Wiener medizinishe Wochenschrift vom Jahre 1859). Hervieux enim virum quadraginta fere annos natum et per plures menses vehementi Dysenteria cum gravi defaecatione et spasmo musculi sphincteris ani conjuncta laborantem tractavit diuque de morbi caussa dubitavit ratus, ex epidemia Dysenteriam ortam esse atque fissuram ani, Proctitidem, Carcinoma Recti exstare putavit. Quum aegrotus paullulum convaluisset, illi 40 gr. olei Ricini dedit, quo factum est, ut cum tertia vel quarta defaecatione magna oxyurium copia dejiceretur;

oleo Ricini et clysmatibus morbus sanatus est. Quum igitur una cum oxyuribus cetera quoque symptomata evanescerent, dubium esse non potest in hoc casu, quin oxyures Dysenteriae causa fuerint.

Itaque quum, si oxyures adsunt, Mucosa Recti fere semper catarrhali modo affecta sit, facile est intellectu, defaecationem irregularem et plerumque diarrhoicam pituita et sanguinis striis variatam effici. Praeterquam quod Rectum et ani regio irritantur, etiam propiora et remotiora organa oxyuribus vexantur. Ex propioribus praecipue organa genitalia nonnunquam continue irritantur et periculosissima morbi phaenomena praebent. Saepius enim jam observatum est, oxyures usitatam sedem i. e. Rectum relinquere atque aliam sedem, ut organa genitalia, maxime muliebria, quaerere. Verum etiam virilibus genitalibus oxyures saepe insidere, Bamberger ostendit, qui apud adolescentes oxyuribus laborantes saepe vesiculas Seminales et Prostatam irritatam invenit, ita ut facile ejaculatio seminis atque dejectio liquoris Prostatici efficerentur.

Lallemand quoque tales iritationes apud viros observavit atque remotis oxyuribus sanavit.

Ejusmodi quoque casus ubi praecipue apud puellas, oxyures in vaginam penetraverunt, haud rari sunt. Ego ipse tales casus observari. Hieme enim praeterita puellam IV annos natam tractavi, quae, ut mater mihi dixit, sub vesperum praecipue digitis genitalium regionem terebat, quod compertus atque oxyures adesset ratus puellam accuratius inspexi atque ani regionem maxime autem vaginae introitum rubefactum inveni, oxyures tamen observare

non potui; idonei medicamentis effeci, ut saepius oxyures dejicerentur et irritationis phaenomena evanescerent.

Scharff mulierum L annos natam tractavit, quae diu intolerabili prurítu et ustione in vagina, oxyuribus, quarum saepe magna copia dejecta est, effecta, laboravit. Becker feminam LXX annos natam tractavit, quae disolutius vixerat et intolerabili pruritu in labiis pudendi et in vagina, tam libidinosa facta est, ut Messalinae prorsus similis esset.

In gravioribus casibus oxyures, dum teneram infantium mucosam genitalem perpetuo irritant, inflammationem vel adeo Leukorrhoeam efficere possunt. Atque haud raro mater questa est, quod filia Fluore albo laboraret. Fortasse etiam oxyures saepius Masturbationem efficiunt. Quod nonnulli putant, oxyures in uterum et vesicam urinariam migrasse et una cum urina emissas esse, melius sane intelligitur, si accipimus, Fistulam quandam inter partes illas exstare.

Aliud phaenomenon, quod oxyuribus potest effici ad nervos pertinet. Davaine directe dicit, oxyures aeque ac taenias et ascarides variarum convulsionum veluti, Choreae, Epilepsiae, Catalepsiae esse causam. Davaine ipse casus quosdam in publicum prodidit, ubi oxyures per longum tempus Epilepsiam, et Spasmum faciei sustentabant, quae remotis vermibus demum sanata sunt. Magnam tamen fidem his observationibus certe non possumus tribuere, quia et historia morbi negligenter est perscripta et casus ipsi satis difficiles et contorti erant.

Ea quoque non possumus credere, quae Baumes narrat, vehementissimas omnium membrorum convulsiones in

concursu putridae et biliosae febris, evanisse, magna oxyurium copia dejecta, febrim ipsam autem remansisse.

Iis potius, quae Romberg semel observavit, fides habenda est, oxyures Choreae causam fuisse. Prorsus sane negare nolumus, tales morbos convulsivos oriri posse verum tamen accuratiores quaestiones observationes hac de re instituantur necesse est. Quamquam autem satis dubium et incertum est, quam vim oxyures in nervos habeaut, alia tamen phaenomena i. e. physica haud dubie cum oxyuribus cohaerent. Etenim negari non potest, quin homo, qui perpetuo talibus vermibus vexatur, ad varias labi possit opiniones; atque ita fieri sane potest, ut oxyures denique animum male afficiant atque Maniam, Melancholiam, Hypochondriam, alias perturbationes efficiant. Quam ob rem anno 1808 in Salpétrière „manie vermineuse“ accepta est.

Huc pertinet casus, quem Mosler observavit. Studiosus quidam XXI annos natus, irritabilis et infirmo corpere, mense Augusto anni 1860 propter intolerabilem ani pruritum Moslerum consuluit.

In inspectione nonnullae oxyures in regione immundi ani et nodi haemorrhoidales animadvertebantur; mucosa Recti catarrhalis erat. Quum aegrotus comperisset, sese vermibus laborare, obstupefactus et perterritus rogavit, ut efficacissima et vehementissima remedia adhiberentur, vermes in ventriculum jam ascendisse putans, quia ubique in abdomine dolores sentiret; tam concitatus erat ille juvenis, ut noctu dormire non posset atque saepe perterritus de lecto exsiliret. Quia domus incolas valde agitabat in Clinicum receptus est. Oleo Ricini et Clysmatibus ei da-

tis die nocteque vas sub ano habuit, quod magnam vermium copiam exciperet. Vermibus remotis quum ex Clinico dimissus esset per longum tempus alio medico usus est.

Hic casus, quem nobis tradidit vir saepe magno studio in observatione symptomatum, Helminthibus effectorum versatus satis docet, quam vim oxyures in animum humanum habeant. Bremser praeterea narrat, sibi mulieres fuisse notas, apud quas oxyures Nymphomaniam paene effecerint. Cur vero infantes saepius quam adulti phaenomena pathologica praebeant, difficile est dijudicatu. Plures anatomi pathologici merito sane contendunt, quia infantes saepius, quam adulti oxyures habeant; quamvis nonnulli homines per totam vitam illis vexentur: Huic sententiae addamus, quia infantes irritabiliores ideoque illis phaenomenis magis obnoxii sunt.

Quod vero nonnulli viri docti contendunt, oxyures nulla symptomata efficere, probare haud possumus. In nonnullis sane casibus oxyures cum communibus turbationibus, quas ipsae non effecerunt conjunctae esse possunt, quod docet casus, quem Mosler affert, qui puellam XVII. annos natam epilepsia et vermibus vexatam, verum nondum menstrualem tractavit; laici quidem epilepsiam vermibus esse effectam putaverunt. Verum quum accuratius puellam inquireret Moslerus cognovit, Helminthiasin forte quadam cum epilepsia per plures jam annos durante convenisse atque molestias ita ortas molimina menstrualia esse habita.

In nonnullis casibus multa millia oxyurium uno loco sedent, ut non molestae sint. Ut exemplo utar, Bremserus puerum XII. annorum Febri nervosa laborantem

tractavit. Clysmate injecto magna oxyurium copia dejecta est, quas aegrotus neque antea unquam senserat neque postea sanitate restituta sensit. —

Verumtamen haud raro fit, ut solae oxyures multa pathologica phaenomena ostendant quod jam Molin animadvertit, qui dicit, vel minima entozoa inflammationem, haemorrhagiam etc. efficere posse, duosque casus affert, ubi vehemens Haematemesis, Dysenteria, Epilepsia alia solis oxyuribus effecta et Anthelminthicis sanata sunt.

Diagnosis.

Ex uno symptomatum, quae supra attulimus, suspicari quidem possumus oxyures adesse, verum tum demum certam diagnosin instituere possumus, si Rectum et faeces accuratius inspicimus. In nonnullis casibus jam in prima ani et faecum inspectione vermes cognoscimus; etenim si vermes adsunt, ani regio rubefacta et saepe excoriata est, mucosa injecta saepeque secernens, in qua interdum multa puncta rubra observantur, quae oxyurium caudae pressu Lallemand effecta putat. Si statim in prima inspectione vermes reperire non possumus, idoneum sane est, aliam quaestionem instituere, ubi molestiae ortae sunt. Microscopium saepe omnes dubitationes tollit et certam Diagnosin praestat, quare merita recenti tempore a Davaine et Vix ad certam Diagnosin instituendam inductum est, saepe enim nudis oculis vel lupa vermes in Recti pituita et in faecibus cernere non possumus, dum microscopio et vermes et eorum ova facile cognoscimus. Quae ad inspiciendum opus sunt, cochleari Davielico accipimus.

quod paullulum in Rectum inductum in retrahendo posteriorem Recti parietem terget.

Vix ad acquirendam illam massam scalpelli manubrium, cujus margines non debent acuti esse, vel obtusum folio myrtaceo similem spathulae finem nobis commendat; si massam ex superioribus intestinorum partibus petere volumus, specillum cavum. Sine microscopio vermes ita quoque facile cognoscere possumus, si faeces in nigra tabula altis paullulum eminentibus marginibus instructa ponimus et aqua diluimus. Albus ille vermis in nigro fundo facile animadvertitur. Qua ratione saepius in hujus universitatis Clinico, ut caput Taeniae reperirem, usus sum.

Kuechenmeister ad oxyures in faecibus cognoscendas cribrum e setis equorum factum nobis commendat. Davaine quidem ad quaestiones microscopio institutas faecibus jam dejectis usus est, mihi vero melius videtur esse intestinorum pituitam inspicere, quod si in usu privato consequi non possumus, sufficit jam schedulam, qua aegrotus anum sibi abstersit, inspicere. Quamquam oxyures saepissime jam a medicis inquisitae sunt atque forma a reliquis omnibus, qui apud homines reperiuntur vermibus diversae sunt, tamen saepius jam a scriptoribus parum intellectae atque cum reliquis confusae sunt. Si enim medico ad inquisitiones microscopium non praesto est, fieri potest praesertim aestate, ut dyptarum larvas pro oxyuribus habeat, quarum tamen larvarum cauda brevis et obtusa est, dum oxyurium cauda in tenuem exit apicem; praeterea larvarum intestina nodiformia alba fila sunt, quae per tunicam translucent, pedes autem verucaeformes, de-

nique etiam larvae illae celeriter recta via in erucae modum, oxyures vero in obliquum repunt.

Majora quoque crystalla Ammoniaco-Magnesiae Phosphoricae nos facile possunt fallere. Dum vero pruritus, quem oxyures efficiunt mox major, mox minor modo hic modo illic exsistit, crystalla illa aequales sibique constantes subtiles punctiones efficiunt, quae plerumque etiam in fuscis faecibus nitore formaque facile cognoscuntur.

Atque si faeces crystallis mixtae per intentum Musculum Sphincterem ani dejectae sunt, haud raro in mucosa parvas et exiguum sanguinem fundentes scarificationes animadvertimus, quae, si oxyures adsunt, nunquam cernuntur.

Prognosis.

Symptomata illa satis gravia sunt atque eo magis nobis observanda et respicienda, quia recentiore tempore casus allatus est, ubi vermes illi exitum letalem effecerunt.

V i x enim totum intestinum crassum, cuius mucosa partim chronice-catharrhoice affecta erat, quasi pellitum oxyuribus, scybala maximam partem ex his vermibus composita, coecum trichocephaliliis obsitum invenit. Quum reliqua organa morbo vix essent affecta, singularia morbi symptomata eorumque exitum nisi nimiae oxyurium copiae attribuere non potuit.

Porro si perpendimus, eos, qui nimia oxyurium copia vexantur, mox infirma atque etiam aegra fieri valetudine atque plerumque apud infantes vel juvenes oxyures reperiri, eo magis necessarium esse videtur, ut omni modo Diagnosis et Therapia instituatur.

Etenim per plures annos vel adeo usque ad senectu-

tem molesta illa symptomata perseverant atque corporis evolutionem impediunt. Quamvis igitur prognosis quoad vitam fausta sit tamen quoad valetudinem completam infaustissima est, quum morbus quidem levari, verum difficillime et ne in senectute quidem prorsus tolli possit.

Therapia.

Oxyures haud dubie ad eos parasitos pertinent, qui difficillime possunt exstirpari. Numerus eorum innumerabilis, etiamsi enim plura millia necata at remota sunt, tamen novae copiae succedunt, quum faecibus, quae in crassis intestinis insunt et pituita a medicamentorum vi et effectu defenduntur et si paucae tantum in intestinorum plicis relictae sunt, tam celeriter augeantur, ut mox nimia adsit copia, qua in re oxyuris optime cum Acaro scabiei potest comparari.

Quamquam autem oxyures anthelminthicis prorsus deleri non possunt tamen interdum remedium adhibendum est, quia aegroto palliativa quoque levatio satis est exoptata.

Fortasse adversus nullum alium morbum tot remedia proposita sunt, quam adversus oxyures, quam ob rem necessarium esse videtur, ut primum prophylaxis constituatur, tum vero remedia interne externeque adhibenda afferantur, quae ad removendas oxyures et idonea et probata sunt.

Quum oxyurium germina praecipue cum cibo in corpus humanum inducantur, utile sane est, cibos, in quibus praesertim talia germina insunt, priusquam eduntur, coquere, assare aut aliquamdiu in aceto vel aliis acribus substantiis ponere; ita enim vermium germina delentur. Verum etiamsi in multis casibus vermes non cum cibo in-

ducti sunt, aegroti certe alio modo et ab alio loco germina in cibos transtulerunt, exempli causa; si immundus aegrotus per digitos, quibus anum sibi scabit, ova in cibaria, vestimenta alia transfert. Ita fit, ut homines, qui „Schmutzkauer" et „Kothesser" vocantur, vermibus quam maxime vexentur. Si tales homines cum aliis puris et mundis iisdem linteis, vasis ct. utuntur, facillime potest fieri, ut in locis, ubi plures homines cohabitant, veluti in orphanotropheis, paedeuteriis, carceribus, castris, ptochotrophiis Helminthiasis repente longe lateque vagetur. In talibus igitur institutis quam maxime necessarium est ut mundities servetur, ut ii, qui oxyuribus vexantur, sanentur neve alios afficiant.

Quum vero hanc prophylaxin non in omnibus casibus adhibere possimus, parasitum ipsum externis vel internis remediis aggrediamur necesse est.

Interna remedia ideo probanda sunt, quia una cum frequentibus defaecationibus vermes dejiciuntur itaque sanatio potest effici.

Quamquam autem adhuc nullum remedium novimus, quo vermes prorsus deleantur, tamen aliquam vim et effectum ommibus iis, quae nunc in usu sunt, possumus tribuere.

Quorum remediorum nonnulla et quidem efficacissima hic afferam. A. Beauchair et P. Viguier commendant Oleum Jecoris Aselli, quod mane jejunis faucibus inferendum sit, quia hoc oleo debilis et infirmus corporis habitus, qui solus oxyuribus idoneus sit, corroboretur et vermes sponte evanescant.

Recentiore tempore Küchenmeister, si oxyures in

intestino tenui tantum sedent, Natron Santonicum feliciter adhibuit, quod nonnulla Laxantia sunt secuta.

Hervieux oleum Ricini et quotidiana clysmata certissima et efficacissima remedia esse censet. Blache vero contendit, nullum adhuc repertum esse remedium, quo vermes prorsus removeantur et perpetua sanatio efficiatur. Putat enim se observasse casum, quo constitutum sit, oxyures hereditarias esse, quas apud matrem ejusque infantem VI. annos natum invenit. A medicis Francogallicis feliciter Helminthochortos adhibitus est. Tourtual auctore aqua Laurocerasi efficax anthelminthicum est praecipue adversus oxyures atque inde ortas affectiones et symptomata.

Oppolzer denique commendat vetustum et austerum vinum cuius quotidie nonnulla pocula aegroti bibunt et nonnunquam prosperum habuit eventum.

Pernice quoque hoc laudat vinum. De vi et effectu horum medicamentorum equidem adhuc nihil expertus sum, hoc verum pro certo habeo: ex omnibus internis medicamentis oleum Ricini praesertim si cum clysmatibus conjunctum est plurimum adversus oxyures valere. Completa et perfecta autem sanitas solo oleo Ricini, quantum equidem observavi, non efficitur. Ab omnibus omnium temporum medicis externa remedia, si Clysmata quoque huc pertinent, internis sunt anteposita. Optima simplicissimis remediis incipimus et progredimur paullatim ad graviora. Et primum quidem Clysmata aquae frigidae, quae jam van Switen commendavit, adhibentur, quibus molestus pruritus saepe celeriter tollitur et vermes dejiciuntur, sanatio autem tum demum potest effici, si iterum

ac saepius Clysmata adhibentur et magna aquae copia injicitur. Quam ad rem optimi sunt Clysteres cum continuo flumine, quibus in sanandis mulieribus saepissime utuntur. Hic Clyster, quem Mosler in huius universitatis Clinicum introduxit, vas est pyriforme, in quo inest antlia pressu — sugens (Druck-Saugepumpe) in cuius extrema parte uter, ex gummi factus, apice eburneo perforato instructus, insidet. Hoc Clystere intestinum crassum facillime aqua impletur ejusque parietes alluuntur, ita ut simul cum aqua magna vermium copia dejiciatur. Pro tali clystere Griesinger commendat elasticum canalem vel catheterem, qui supra flexuram sigmoideam inducitur: verum catheterem equidem minus utilem et idoneum esse puto quam clysterem supra descriptum. Pro aquae clysmatibus multi commendant, ut aquae acetum, Natrium chloratum vel decoctum Rad. allii (e ʒii) ℥vi admisceatur. Talia aceti Clysmata prosperum habere effectum ipse saepius observavi. Guérard auctore Clysmata Saponaria ad removendas oxyures sufficiunt. Küchenmeister Clysmata ex aqua salsa et oleo mixta cum felici eventu adhibuit et hodie Clysmata Natrii Santonici commendat, 4—8 gr. pro Clysmate apud adultos apud infantes dimidium. Saepius etiam a Niemeyer commendantur Clysmata cum solutione sublimati $\frac{1}{4}$ gr. fere ad ℥ii pro uno clysmate. Légroux Clysmata unguenti cinerei efficacissima esse animadvertit.

Bourgeois suadet ut unguentum cinereum digito vel calamo in Rectum inducatur, qua ratione semper se optimum successum habuisse dicit. Dumas (gazette des Hop.) nobis commendat, ut unguentum Hydrarg. cinereum in Rec-

tum inducamus, et IV. horis post clysma Decocti corticis Cascarillae ingeramus. Cruveilhier quum bis ani regioni unguentum cinereum applicasset, molestum pruritum desinere observavit. Ipse quoque jam saepe observavi, unguentum cinereum revera palliativum esse adversus oxyures et aegrotos brevi tempore pruritu molesto liberatos esse. Ubi oxyures pertinaces sunt, argentum Nitricum, Liquor Chlori, Benzinum efficasissima sunt remedia. C. H. Schultz Argentum Nitricum praecipue commendat et quidem 10—15 gr. in ℥iv aquae destillatae solut. pro uno Clysmate. Post secundum vel tertium Clysma aegrotos prorsus et sine magnis molestiis sanatos esse contendit. Primum Clysma plerumque non diu in intestino remanere atque una cum eo partim vivas, partim mortuas oxyures dejici, clysmata quae sequuntur VI—XXIV horas remanere et cum magna mortuorum vermium copia dejici. Mosler quoque clysmata Arg. Nitric cum prospere eventu adhibuit Haud minus idoneum est remedium Liquor Chlori, quem Mosler saepius adhibuit et nobis commendat, ut hujus Liquoris ℥ii fere cum uno et dimidio poculo aquae gelidae misceamus et in Rectum injiciamus. Chlori odorem oxyures minime perferre posse videntur. Ipse quoque jam vim et effectum hujus remedii observavi. Puellae XXII. annos natae et oxyuribus valde vexatae Oleum Ricini ordinavi et clysmata aceti injeci, verum pauci tantum vermes ejecti sunt. Ubi vero clysmata liquoris Chlori a Moslero descripta ordinavi post secundum clysma tanta vermium copia dejecta est, ut inde ab hoc tempore oxyures illi puellae nullam afferent mollestiam. Denique Mosler Benzino quoque magnam tribuit vim adversus oxyures, de quo remedio

equidem nullas institui observationes. Si oxyures apud feminas in vaginam intraverunt, celerrime generalibus vel localibus balneis cum aqua salsa vel sulphure mixtis removentur; ad quas removendas recenti tempore Bamberger et Lebert praescribunt, ut anum et adjacentia loca unguento Hydrarg. cinereo oblinamus, quo parasiti in vaginam ingressi, interficiantur. Verum Clysmata aquae gelidae, cui acetum est admixtum, idem sane efficiant.

Si tempus respicimus curatio optime luna decrescente suscipitur et quidem Septembri et Decembri mensibus. Verum non potest commendari, ut curatio diu differatur, quum idonea remedia semper bonum aliquem eventum habere debeant. Verumtamen vulgi opinio lunae varietates in vermes vim habere non videtur inepta esse et multi medici nisi decrescente luna curationem non suscipiunt, qui proinde nequaquam stulte agere videntur.

VITA.

Natus sum Julius Zumbusch anno h. s. XLI die XXIX mensis Novembris in Guestphaliae oppido Wolbeck, patre Ludowico, quem fato valde praematuro mihi ereptum lugeo, matre Clara, e gente Bisping, quam superstitem pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium Monasteriense per annos sex frequentavi. Tum me contuli ad gymnasium Briloniense, quod tum florebat auspiciis directoris Schmidt. Anno uno in hoc gymnasio peracto, testimonio maturitatis ornatus, auctumno anni LXI Gryphiam adii, ubi a Rectore Magnifico Ill. Baumstark in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Budge, decanum maxime spectabilem medicorum ordinis nomen professus sum.

Per octo semestria disserentes audivi:

Ill. George: de logice, de psychologia et anthropologia.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali universali.

Ill. Muenter: de zoologia, de botanice medica et pharmacognosia botanica.

Ill. Huenefeld: de mineralogia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organica. Idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.

Cel. Schwanert: de chemia pharmaceutica, repetitorium de chemia anorganica et organica.

Exp. Jessen: de botanice; eundem in excursionibus botanicis secutus sum. —

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de anatomia capitis nervorum; de physiologia experimentali, de physiologia organorum sensuum; de embryologia. Idem dux mihi exstitit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia, de anatomia comparata.

Ill. Ziemssen: de encyclopaedia et methodologia medicinae; de pathologia et therapia generali.

Ill. Grohé: de anatomia pathologica speciali, de parasitibus hominum, eundem ducem habui in cursu anatomico-pathologico.

Ill. Laurer: de materia medica; de arte fascias rite alligandi.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; de vi oculos accommodandi usuque perspecillorum; idem mihi speculi ocularis usum tradidit; exercitationes in oculorum morbis diagnoscendis, repetitorium de ophthalmiatrice.

Exp. Heineke: de syphilide; de exanthematibus acutis; de fracturis et luxationibus; de selectis chirurgiae capitibus.

Exp. Hertz: de anatomia microscopia.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medicina.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae; de morbis mulierum, de morbis neonatorum. Idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Rueble: de pathologia et therapia speciali; de morbis systematis nervorum; de auscultatione et percussione; de psychiatria. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Mosler dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali: de akiurgia; de herniis; de morbis chirurgicis abdominis. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

I.

Clysmatibus oxyures non semper removeri possunt.

II.

Foetum necare medico licet.

III.

In lupo sanando excisio loci morbo affecti optimum est remedium.